

cunq; etiam sit, qui Musices partem elementarem, quam ego notationem malo, signatoriam dixit. Quid enim in hac re magnopere peccare potuit, si ex parte aliquâ elementaris Musicae totam illam ita dixit? certe ipse in disputatione quartâ primæ decadis hujus nominis causam præbere potuisses, quando sic inquis: Signatas appellant eas, quæ in principio systematis in linea cujusvis cantionis Signantur & videntur ita dictæ ab officio, quod est, ut cantum Signent, & Signando quasi aperiant, &c. En in quatuor lineis quater hæc elementa quasi signa vocas. Quis non jure tecum idem faciat, & elementarem Musicam signatoriam vocet? Causam quidem hanc non meam facio, hoc tantum dico, non meruisse, ut eum propterea adeò acerbè insectatus sis. Satius fuisset in id operam dare, ut in rebus consentiamus, quàm ut de verbis digladiemur, istud humanum est, & humanitatis studia idem requirunt.

Deinde impotentiam animi tui quodammodo prodis, quando in hæc verba erumpis: iudicamus satius fuisse, veterum caligas